

[Lexicon musicum Latinum](#) 

Wien, Österreichische Nationalbibliothek,
[Cod. 5003, f. 193v-194r](#)

Transcription Christian Meyer
(octobre 2010)

- 193v ¹Prima chorda, ut a gravibus ascendamus, que ·A· litera intitulum, proslambanomenos vel prosmelodos vocatur. ²Proslambanomenos vero acquisita, promelos autem ad cantum interpretatur, eo quod melo apta videatur. ³Porro que prior est corda moderni super addiderunt et hoc signo ·Γ· gamma protulerunt.
- ⁴Secunda ypate ypaton ·B· notatur, que principalis principalium interpretatur, hoc nomen optinens ex eo quia veterissimi musici post collectionem chordarum hanc habuerunt in monochordi principio. ⁵Sed Ptholomeus rex Egipti proslambanomenos postea adiecit eamque primam in gravibus existere fecit.
- ⁶Tercia paripate ypaton ·C· signata prope principem principalium est interpretata.
- ⁷Quarta lichanos ipaton, i. index vel digitalis principalium appellatur. ·D· littera intitulum.
- ⁸Quinta ypate meson, i. princeps mediarum dicitur. ·E· insignitur.
- ⁹Sexta ·F· signatur, que paripate meson i. prope principem mediarum vocitatur.
- ¹⁰Septima lichanos meson, i. index vel digitalis mediarum appellatur, et per ·G· litteram denotatur.
- ¹¹Octava mese vocatur, que et media est et media interpretatur et eadem littera qua et prima sed minori ·a· intitulum.
- ¹²Nona est paramese, que prope mediam dicitur et quadrata ·ϛ· notatur ad distinctionem trite sinemenon, que inter eam et mesen in superiori tamen linea locatur et ·b· rotunda signatur ac tertia coniunctarum interpretatur.
- 194r ¹³Et cetera que secuntur eisdem litteris quibus et precedentes | sed minoribus signantur. ¹⁴Trite diezeugmenon, que post paramesen locatur, decima computatur et ·C· inscribitur et tertia disiunctarum dicitur. ¹⁵Ipsa quoque in superiori linea paranete sinemenon dicitur et prope ultimam coniunctarum appellatur.

12 tamen *lec. inc.*